

Et lineis quæsiuerunt, ita etiam in circulo quærunt, quomodo dato circulo æquale quadratum liceat inuenire. hoc autem multi quærentes non inuenerunt. Veruntamen solus Archimedes quod proximum est inuenit, at accurate non inuenit. Cur autem nonnulli Aristotelem suspectum habeant, quasi falsum de omni quadratura circuli assuererit: eo nomine, quod nunc multis seculis post Archimedem sit inuenta certa demonstratio, ex qua circulus perfectissime & absolutissime quadrari possit: in causa est, quod nesciant distinguere inter demonstrationem, quæ aliter habere nequit, & inter syllogismum abductionis. Aristoteles enim lib. 2. Priorum, cap. 25. ostendit, eos qui circulum quadrare cupiunt, abduci a demonstratione, quatenus propositas superficies non possunt dicere esse æquales, sed esse fere æquales, quandoquidem ita sensui oculorum videtur. Proinde ait, huiusmodi probationes minime apodicticas, quin potius syllogismos abductionis, appellandas esse: non enim in demonstrationibus admittimus propositiones, in quibus dicitur, quantitates esse fere æquales, sed tales propositiones assumimus, in quibus dicitur, quantitates esse omnino æquales. At in syllogismis abductionis nihil impedit, quominus ponamus, quantitates esse fere æquales: hic enim non exactam quærimus scientiam, sed eam tantū, quæ verum proxime assequatur. Quod manifeste testatur Aristoteles hisce verbis, cum inquit loco citato,

B. 2